

# **Eudes, comte de Blois, de Tours, de Chartres, de Troyes et de Meaux (995 - 1037) et Thibaud, son frère (995-1004). Pièces justificatives., Nr. 10**

Multiplex omnipotentis Dei gratia misericorditer genus humanum honorare disposuit, dum pro terrenis coelestia, pro caducis sine fine manentia, mercari concessit aeterna. Quapropter ego, in Dei nomine, Hucbertus, miles, de castro Salmuro, percognitum esse volumus noticiae omnium fidelium quoniam accessit ad nostram presenciam venerabilis abba Berno, humili prece deposcens, quatinus donationem vicariam ipsius et dominationem Sancti Petri monasterii Burguliensi condonassem, nostra auctoritatis roboratione per seriem scripti confirmarem. Habebam enim vicariam de seniore meo Alonso Cainone castro, et per deprecationem hujus mei senioris, concessi loco Sancto Petro Burguliensi, qui est constructus in honore sanctae Trinitatis et sanctae Marie virginis sanctique Petri apostolorum principis et omnium sanctorum Dei, ut, ab hodierna die, hanc vicariam monachi teneant et possideant, qui sub regula sancti Benedicti degunt, qui pro excessibus meis pia sollicitudine invigilent, ut quod pene inquinat actio secularis ex eorum emundetur sancti studio laboris. Hunc igitur locum in honore Dei et sancte Marie sanctique Petri dicatum, ea ratione vicariam eis trado, ut nullus heres meus, neque parentes mei, neque filius meus, dominacionem nunquam habeat, nec pro furto, nec pro rapto, nec pro sanguine, nec pro homicidio, nec pro incendio, vel aliqua repetundarum legum consuetudine introeundi habeat potestatem nullam causam requirendi, qui contrarium eis sit. Igitur, ego, Hucbertus, in Dei nomine, istam vicariam trado loco Sancto Petro et monachis ibidem degentibus, pro timore et amore Dei omnipotentis et pro redemptione animae meae, seu parentum meorum, dimitto eam, ut nunquam de his omnibus ulla querela, sive repetitionem amplius non repetam quod eis concedo. Idcirco, hanc scripcionem donationis donavi, donatumque in perpetuum volui, ut superni gaudio adquiram. Et propter firmam stabilitatem, ut ista carta non sit violata, sed firmiter permaneat inconvulsa, et monachi habeant in aeterna secula sine ulla calumpnia vel contradictione, propter hoc enim accepi ab ipsis monachis solidos mille, et senior meus Alonus ducentos solidos. Fuit enim loricus in precio valde bonus et unus caballus. Filii vero ejus, Alonus et Bernerius, duos puldrellos habuerunt. Senior vero noster Odo comes, pro firmatione hujus carte, centum solides accepit, quia vicaria de suo honore erat de castro Cainonense, et sine ipso nihil profuisset. Firmavit enim per deprecationem monachorum et Guillelmi comiti Pictavensi ad cuius locus pertinet. Ex parte enim illius advenit ei. Mater Odoni, Berta nomine, habuit una uncia de auro et seprias mille, et mater mee uxoris, itidem nomine, solides centum, et uxor mea, nomine Emmelina, una uncia de auro. Senegundis vero, femina Alonis, centum solides. Gauterius vero de Turonis et Guicherius miles, mille seprias habuerunt. Et alii multi habuerunt, qui adjutores fuerunt, quae longum est enarrare. His ergo ita constitutis et secundum voluntatem Dei, ut credo, dispositis, rogo et obtistor per Deum omnes successores meos, filios vel filias, et alii regni gubernatores, ne helemosinam hanc, quam ego Deo et sancto Petro obtuli per voluntatem eorum que supra memoravimus. Caveant ergo ne ad suam perditionem imminuant nec inmutent, vel disperdent. Sed si participes bone retribucionis esse voluerint, nutriant eam et amplificent, vel in virtute conservent. Quod si quis contra testamentum hoc venire et que in eo scripta sunt inminuere vel inmutare praesumpserit, sive filius meus, vel parens meus, seu heres meus, vel quelibet humana potestas, alieni sint a regno Christi, et claviger celestis regni, Petrus, cujus he res

sunt, portas eis claudat paradisi, et aeterne maledictionis jaculo confossus, cum Juda traditore, Anna et Caipha et Pilato, Dathan et Abiron et Chore, dampnatione accipi, nisi digne penituerit et ad emendationem venerit, sicuti abbati placuerit et monachis ejusdem loci, ita tamen, ut, quod indigne actemptare praesumpsit, amplius jam non recipiat, sed omni tempore stabilis permaneat in seculorum secula. Amen.

Hoc vero testamentum, ego, Hucbertus, manibus meis roboravi et optimatum meorum conspectibus roborandum presentavi. S. Joschelini, filii ejus, qui tres libras accepit. + Signum Odonis comitis. S. Bertae comitisse. S. Alonis. S. Senegundis. S. Hucberti, qui hanc, fieri jussit. S. Berte, matris ejus uxor. S. Emelinae, uxor. ejus. S. Alonis. S. Bernerii, fratris ejus. S. Vugonis archiepiscopi. S. Gauterii Turonis. S. Guanelici, filii ejus. S. Guicherii. S. Maingaudi. S. Guischelini. S. Gualei. S. Losduini. S. Hugoni cleric. S. Jona cleric.

Actum in civitate Turonus plublice, mense junio, regnante Rotberto rege, immo donante Jesu Christo, rege aeterno, qui regnat in secula seculorum. Amen.